

Dissertatio Physico-Medica De Dormientibus, Secunda, Agens De Iusta Somni Salutaris Quantitate Et Mensura

Rostochii: Adler, 1755

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn829647406>


Druck Freier  Zugang






59.

Fa-1092(59.)






- 1. Sartorius, de imagine diuina
- 2. Heibitz, de vindictis Salomonis aduersus criminationem Iosephicis.
- 3. Semler, de mysticorum interpretationum studio ab Aegyptiis patribus maxime repetenda, hodie parum utili.
- 4. Sartorius, de antirationalismo apostolico, occasione oraculi 2 Cor. 10. 5.
- 5. Semler, de Gaemoniacis quorum in euangelio sit mentio.
- 6. Kuhn, *Über die Bedeutung des Wortes "Gott" im N. T.*
- 7. Fichtelmair, de schola Jabnensi celeberrima quondam Palaeorum Academia promittit.
- 8. Feibichius, *Συμπόσιον ἀντισημιτικῶν τὰς ἐπιστολῶν.*
- 9. Nettelbladt, de genuina prophetaum de praesenti et de futuro notione.
- 10. Nius, de methodo Hildebrandina.
- 11. Boekmer, de morbo ex hypochondriis.
- 12. Gottsched, de memoria Adeliaana et Sygferiana.
- 13. Huet, de personalitate.
- 14. Roessler, de vita veterum sublativis manibus precandi.
- 15. Burgmann, de vetere Testamento etc.
- 16. Hartmann, in 2 Petri 2. 1. de actu reprobis vero refectionis etc.
- 17. *Idem*
- 18. Stepinus, characterem tragœdiographi.
- 19. Baste, du Deluge par l'auteur de la methode etc.
- 20. Prüfung der Inauguraldissertation Joh. H. Müllers. von Niemann Ubbelohde.
- 21. Prier, de diuina vaticiniorum origine.
- 22. Prier, de reptione Lutheri verborum Gen. c. 4. comm. 26.
- 23. *הוֹרָה בְּשֵׁן לְקַרְל קַרְלֵס.*
- 24. Carpow, de speculo exponentem speciatim.
- 25. Carpow, de fucis et tinctura, oculorum, faciei, capillorum exponentem speciatim.
- 26. Quistorp, exegesis theologica notionis biblicae filiorum Dei.
- 27. Quistorp, de adoptione diuina vniuersim spectata.

59.

27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100


- 26.) Carpov, de $\alpha\pi\alpha$ in scriptura $\alpha\pi\alpha$ $\alpha\pi\alpha$, Filionim filiarum Zion.
 27.) Burgmann, de Deismo generatim spectato.
 28.) Hartmann, de impossibili quorundam ad Metanoian reuocatione.
 29.) Haddewig, de dormientibus, secunda agens de iusta Romae salutaria
 quantitate et mensura.
 30.) Engelen, de otio monachorum haud probando.
 31.) Roemberg, de genesi intellectus et rationis ex actu reflectionis.
 32.) Burgmann, $\alpha\pi\alpha$ illud. Christi chari 14. com. 41.
 33.) Burgmann, de auctora in lege et testimonio conspicua ex $\alpha\pi\alpha$ 8. com. 20.
 34.) Burgmann, de gratia generatim considerata.
 35.) Hartmann, de argumentis quibus praestitam esse pro impenitentia
 finali satisfactionem Christi.
 36.) Quistorp, de notione filiorum et filiorum Dei biblica.
 37.) Burgmann, de Deismo naturalistarum generatim spectato.
 38.) Hartmann, de argumentis ad ~~eam~~ euincendum satisfactionem
 Christi etc.
 39.) Zahn, de politico non superintendente.
 40.) Paulmann - Grewitz - Kellus mindus dia Insultus in Graubunif.
 41.) Chladenius, de vocatione diuina ad ministerium ecclesiasticum.
 42.) Franz, de coelibatu ecclesiasticorum specimen secundum de causis illius.
 43.) Wülfemann, de natura methodi mathematicae, eiusque vsu in
 philosophia et theologia.
 44.) Nahmachers, annotationes annotationes ad locum Matth. 19. 24.
 45.) Peters, vim cohesionis explicandi phaenomenis, quae vulgo vi
 attrahenti tribuuntur haud sufficere.
 46.) Quistorp, de lauris poenitentiae victimis iansenistarum etc.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO PHYSICO - MEDICA,
DE
DORMIENTIBVS,
SECUNDA, AGENS
DE
IVSTA SOMNI SALVTARIS
QVANTITATE ET MENSURA.



QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,

DVCE AC PRINCIPE HAEREDITARIO MECKLENBVRGICO,
PRINCIPE VANDALORVM, SVRINI ET RACEBVRGI, COMITE
ITEM SVRINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET
STARGARDIAE DOMINO,
PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.



ANNO MDCCLV. DIE XXII. MART.

PVBLICE DEFENDENT

PRAESES

GVST. CHRISTIAN. HANDTWIG,

MED. DOCT. HVIVSQVE PROFESS. P. O. SEREN. PRINC.


CONSIL. AVLICVS,

ET

RESPONDENS

IOHANN WILHELM FRIDERICH LIEB,

BARVTHO FRANCVS, MED. CVLT.



R O S T O C H I I,

TYPIS IOHANN. JAC. ADLERI.

Dupl

29
34
36
37
38
39
40




SECTIO II^{DA}.

DE

TEMPORE DORMIENDI, PER QVOD?

SIVE

PRAEFINIENDA SOMNI SALVTARIS QVAN-
TITATE ET MENSURA!



§. 23.



Somnus et Vigilia, utraque si excedant Modum, malum! Dicit Magnus Hippocrates, *Aphorismor. Lib. II. aph. 3.*, et in eo, quanquam, *utrum malus magis sit somnus peccans in excessu, quam defectu?* disputetur, consentientes habet facile medicorum filios omnes.

C 2

§. 24.

§. 24.

Sub minoris iusto quantitatis somnum, minor fit, quam par erat, novarum molecularum adpositio, attritarum reparatio, spirituum animalium e sanguinea massa praeparatio ac secretio, tensorum relaxatio, toni restitutio, virium instauratio, imo quicquid inter bonos et salutare somni effectus numeratur, sive ad coctionis, sive accretionis in iunioribus et nutritionis in reliquis conservationisque negotium spectet, si non plane non, saltem non ita plene obtinetur. Hinc facilis cruditas collectio et progeneratio, corporis emaciatio, virium labefactio, et quae non inde mala!

§. 25.

Mali vero non minus sunt, imo pessimi, somni mensuram iustam atque modum excedentis effectus. Quinimo malus is deprehenditur esse Amasiis suis Philhypnis, luculenter utroque modo, nimirum sive *physice* consideratus sive *moraliter*, quidquid etiam pro illo, quippe blandienti sibi mirum saepe in modum, defendendo hi in contrarium moliantur.

§. 26.

Vita brevis est! monet idem *Hippocrates* et inculcat mortalibus, omni respectu prudenter, initio statim aphorismorum. Quam vero sit brevis, dispertienda inter vigiliam et somnum, ex naturali iam necessitate. Nihil tamen morti tam simile, quam somnus, et citra necessitatem brevior sic, per *Philypniam* redditur quasi, brevis
per

per se iam vita. Dicamus apertius. *Temporis*, quod, quanquam irreparabile sit et negotiose rectius transigendum, perditur sic otiano temere profus, considerata prudenter venit longe maxima *iactura*. Neque enim horulae sic pereunt et labuntur frustra tantum, verum calculo rite ducto hisque in summam collectis, integri forte anni, imo magna soepe pars vitae, qua fruimur, adeo brevis. Sed et proprio in significato, uti mox videbimus, vitam reddere valet non aerumnosam modo, aut revera aliquando brevioris somni ejusmodi abusus, refugiendus proinde quam solertissime iis, qui aspirant ad longaevitatem.

§. 27.

Animi Vires atque dotes quantopere frangat, imo pessundet tandem profus aliquando, somnus modum excedens, non ita fitum est in obscuro, quin a Medico-Physicis omnis aevi facile fuerit observatum. Ex vero pronuntiat, et experientia fida comite, LEVINUS LEMNIUS, in Exhort. ad vitam opt. instit. Cap. 15. „Nimius somnus atque immodicus, stupidos reddit homines, ignavos, socordes, obliviosos, et qui non facile emergant atque ad praeclaras ulla artes enitantur!“, Exempla cumulare nostri non est instituti. Vnicum tamen, quod cum edoceat, quomodo Philypnia occupaverit et fefellerit ipsius salutaris artis quendam doctorem, rarioris proculdubio est observationis, subjungere hic nulli gravabimur. Refertur in H. BOERHAVII *Comment. in Institut.* §. 590. verbis „vidi Medicinae Doctorem, fatis eruditum, qui mirabilem voluptatem in so-

„mno quaerebat. Recepit se in locum silentem et ob-
 „scurum, et dormiit ita pene perpetuo, vt destructa ani-
 „malitate fatuus in Nosodochio perierit., Tom. IV.
 pag. 512. seq. Edit. Jllustr. HALLERI.

§. 28.

Neque mirum adeo, perpetienda esse animae ex
 nimietate somni quaedam, imo maxima aliquando, mala,
 cum male ab eadam plectatur soepius et temporis in pri-
 mis progressu ipsum, quo cum est arctissime vnita, *Corpus*,
 et siue qua fluida siue qua solida, siue qua vtraque simul
 oeconomiamque animalem integram, spectatum, et ad
 varii generis praedisponatur morbos, ipsamque, cuius hi
 sunt prodromi, ipse vero frater cluit, mortem.

§. 29.

Sub somnum nimium longiusque protractum ju-
 sto, nimia soepius Chyli copia elaboratur, plura recupe-
 rantur in confirmatae aetatis etiam hominibus quam
 amittuntur, atque corpus nutritur nimis, qua ratione
 causa fit plethorae vt et obesitatis etiam aliquando, quod
 vltimum cognoscitur etiam inde, quod haec vicissim
 nullo remedio tam valide arceatur atque profligetur,
 quam per somnum imminutum cum motu adaucto, com-
 modum monente Jllustri quondam nunc B. GEORGIO
 DETHARDINGIO, nostrate, cuius in *Manuduct. ad vit.*
long. pag. 52. sequentia leguntur verba. „*Jndicationes cu-*
 „*rativas Obesitatis, quas Practici commendant*, i. e. vt col-
 lecta nimia copia pinguedinis imminuatur et extra cor-
 pus eliminetur, novae autem pinguedinis collectio prae-
 cavea-

caveatur, „et quas multis Pharmacis tentant absolvere:
 „omnium optime absoluunt Vigiliae protractae sub la-
 „boriosis negotiis corporis; adeo ut haec methodus cu-
 „randi obesos inter arcana medica reponenda! Hacte-
 „nus ille. Quemadmodum autem obesitas incommodi
 imo periculi haud parum deprehenditur vehere secum,
 ita Plethora succi atque sanguinis laudabilis quamvis,
 vtriusque certe non alit minus, tanquam a qua proveni-
 unt et metuenda veniunt vasorum sangviferorum di-
 stensio, nervorum autem compressio, inflammationes,
 pectoris oppressio atque Incubus, Haemoptysis cum suo
 facile comite Phytisi pulmonali, disruptio vasorum etiam
 aliorum v. c. cerebri, vel saltem ejus oppressio, sopo-
 ratio, et quae alia sunt reliqua.

§. 30.

Sub somnum laxantur fibrae motusque atque cir-
 culus humorum debilior fit atque minor, quo in statu,
 quia sub somnum nimium persistere coguntur diu ni-
 mis, inertiam facile contrahunt illae atque atoniam, hae
 vero minus rite subiguntur ac praeparantur, lentescunt,
 spissescunt imo et stagnant subinde, aut extravasantur,
 vnde in Philypnis quibusdam dyscrasia quaedam, cache-
 xia, Scorbutus, Oedemata, in aliis inflammationes, hae-
 morrhoidum aut mensium vitia, oculorum morbi, alia
 mala. quorum familiam percensens Dr. J. C. STIEFIUS,
 in genere etiam commendandus, conferri poterit, in Diff.
 de morbis ex somno §. 12. Symbolam suam huc etiam
 conferre potis est Plethora, quam sub somnum largiorem
 ingigni posse vasis, observatum est in §. proxime
 praeced. §. 31.

§. 31.

Sub somnum nimium, Spiritus animales augentur nimis, sive fluidum atque succus speciatim etiam nervus. Qui enim supersunt a vigiliis, minori quantitate abeunt aut consumuntur, novi autem copiosius, quam fieri potest inter vigilandum exercitiumque spontaneorum motuum aut actiones, praeparantur continuo atque fecernuntur, vel ut alii, liberantur, adeoque in somno nimis protracto plures, quam requiruntur; quo respectu non incongrue statuetur, fluidi hujus nervei per nimietatem somni eveniens quaedam plethora.

§. 32.

Hujus jam ut analogi quidam existant effectus noxii effectibus Plethorae aliorum humorum, magis fit quam veri simile. Spirituum enim quamvis nomine veniat fluidum istud nerveum, id tamen accipiendum non nisi improprie ac relative, quatenus nimirum sanguinem, cujus ex massa praeparantur atque fecernuntur, imo alios quoscunque corporis nostri humores, subtilitate, puritate, levitate agilitateque superant, vel superare saltem debent longe. Quam itaque subtile sit fluidum hocce, non propterea tamen definit esse aliquid materiale, idemque consequenter heterogeneitatis neque per se et sua natura expers concipitur omnis, neque mutationibus quibusdam non obnoxium prorsus.

§. 33.

Aucta nimis, capacitatemque vasculorum continentium nerveorum excedens quantitas fluidi hujus,
nimium

nimum haecce implendo , implendoque distendendo
 atoniam illis valet inferre passim , vt et, praesertim
 ad tardio rem redacta progressum spissescens quo-
 dammodo, obstructionem, quippe quae definiente Ma-
 gno H. BOERHAVIO *Aphorismr. de Cognoscend. et cu-
 rand. morbis* §. 107. in genere nihil aliud est quam „ob-
 „turatio canalis, transitum tollens liquido per eum transf-
 „jiciendo, vitali, sano, vel morbofo, orta ex Excessu
 „molis transiurae supra capacitatem vasis transmissuri,
 tanquam *Causa proxima* omnis obstructionis, monente
 Celebr. GERARDO van SVITEN, in *Commentar. in
 Boerhav. Tom. I. p. 161.*

§. 34.

Nervis autem sic obstructis, aequae ac iisdem com-
 pressis in tantum, vt liquidi transfluxus impeditior fiat
 non modo, sed et intercipiatur sistaturque prorsus, ces-
 sant mox partium sensus voluntarii que motus, quemad-
 modum per ligationem nervorum artificialem id expe-
 riri licet, unde tremendi illi affectus apoplectici ac para-
 lytici oriundi. Vti denique plethora sangvineae spissif-
 centiae non tantum, verum et alii variae sangvinis in-
 temperie velificatur, atque praebet ansam; ita in flui-
 do etiam nerveo ob abundantiam ejusdem sive pletho-
 ram evenire posse idem, non est cur magnopere dubite-
 mus, et aperte ejus aliquando obviam intemperiem
 tuentur multi. Ita vt ex hisce nominemus v. c. quos-
 dam, ROESERVS in *Dissert. inaug. de Catalepsi*, sub
 Praesid. J. G. WINTERI, Rinthelii defensa, §. 20. inter
 causas ejus remotas diserit discrasiam spirituum anima-
 D lium

lium acido acrem, austeram accusat, et, qui in nervorum perscrutatione omnes quasi intendit nervos, singularemque collocavit operam, THOMAS WILLIS, in *Pathologiae cerebri et nervosi generis specimine*, Cap. IX. integro de spasms agit vniversalibus, qui propter succi nervosi diathesin scorbuticam excitari solent.

§. 35.

Sub somnum nimium, diu nimis, et in copia nimia, saepius retinentur excernenda, lotium et alvinae feces, stimulum naturae vel non perferendo, vel praetorpore per dormiendique majori quadam voluptate negligendo. Vtrumque utroque respectu male, nec sine infigniori aliquando sanitatis laesione. Latius haec, uti et praecedentium quaedam deduci facile possent, de aliis etiam huc pertinentibus, imprimis perspirationis negotio, an sub somnum turbato vel imminuto prorsus? et de cutaneis, inde a Viris quibusdam Doctissimis derivatis, vitiis atque morbis differi plenius. Sed satis jam ostensum malorum ex nimietate somni, pro scopo,

§. 36.

Circa somnum itaque, cum peccari a dormientibus posse graviter, tam in ejus Defectu, quam quoque Excessu, in praecedentibus demonstratum sit luculenter, clarissime iam adparet necessitas, quibusvis salutis propriae habentibus rationem decenter, verum Medicis quoque aliorum curam recte gerere cupientibus sic imposita, de iusta somni, per se naturae amici, per accidens et immoderationem inimici maxime, mensura seu quantitate

titate cogitandi ferio : vt detur salutaribus ejus qua corpus animumque frui effectibus, deque iisdem gaudere juxta illud LONICERI de *Temperantia*:

Me moderata juvat potusque cibique voluptas,

- - -
- - -

Haud molli patior foedari membra *Veterno*,
Sic puri virtus *Animi* ad aethera scandit,
Sic *Mens* in vegeto *Corpore sana* viget!

§. 37.

Nimis curiosa, et joculari quam seriae quaestioni similior illa, de somno in lumbis paternis, ejusdemque qualitate aut quantitate definienda, cujus formandae aliquando, ansam praebuit de ortus generationisque humanae negotio sententia sic dicta Loewenhoeckiana. Inter varias nimirum, pro explicando isto, hypotheses in medium ab eruditis prolatas, duae inprimis celebritatis sibi pepererunt nomen, vna *Hoffmanniana* hodie adpellata, secundum quam corpusculi organici s. foetus *stamina* praexistere in muliebri ovulo credita, accedente seminali maris aura, convenientique de hinc nutritione evolvuntur amplius atque crescunt; altera quae a solertissimo naturae subtilitatum quondam scrutatore LOEWENHOECKIO nomen trahens atque famam, supponit, foetulas vivos, sub forma quadam animalculo-

D 2

rum

rum minutissimorum , *spermatica* quae placuit adpellare , in semine virili praesto iam adesse , qui in cohabitationis actu muliebri contingentes ovum subintrent illud , evolvendi ibi amplius atque enutriendi.

§. 38.

Horum itaque, *ad Statum hominis ante conceptionem* , si tamen quis datur talis , pertinentium , vti curam aliis atque ingeniosioribus nos committimus lubentes ; ita ad seriam quaestionem accedere magis alteram illam , de *somno* videlicet foetus sive *Embrionis* in *utero materno* , non equidem diffitemur. Motus certe illi ejus varii , post elapsam dimidium graviditatis tempus , quos gravidae solent persentiscere subinde , et quo propior est exclusioni , magis magisque , convenire sic videri possunt satis cum vigilantium aliorum motibus spontaneis ; vti vicissim cessatio ejusdem a motu per tempus reliquum , idemque plurimum , convenientiam habere maximam cum Somno , eodemque speciatim etiam quod ad quantitatem , durationemque illius , quo statim a partu fruuntur tam largiter , tempusque terunt fere omne. Ast enim vero quicquid etiam hujus sit , et quam etiam convenire videantur viventis embrionis motus cum vigilia , quies vero cum Somno , manca tamen haecenus ac incerta passim comprehenditur theoria singulorum ad statum embrionum spectantium nimis , ita vt circa somnum ejus certi statuere aliquid , facile sustineat nemo ; nos saltem eum scopum nobis nolumus praefixum , moderamen ejus pie committentes matri , naturae.

§. 39.

§. 39.

Missis proinde, vna cum spermaticis animalibus quoque Embrionibus, proprium quaestionis nostrae de tempore dormiendi *per quod*, sive de iusta et genuina somni salutaris quantitate ac mensura, objectum, Hominem volumus esse, inde ab exitu ejus ex utero materno, usque ad reditum in terram, communem mortalium matrem omnium, s. spatium humanae vitae omne tantum illud, per quod inter spirandum et respirandum libero aeris fruentes usu, vicissitudini vigiliae ac somni subjacemus manifesto.

§. 40.

Dividitur illud, natura duce, in tres potissimum, (varie iterum subdistingvendas facile) *Periodos*, nimirum *incrementi* vnam, alteram *status*, et tertiam *Decrementi* tandem. Et hujus quidem divisionis respectu, statuminari recte atque tuto, non obstante quorundam qua senes minus fundato dissensu, ut censemus, poterit Regula atque norma hujuscemodi generalis: *Quanto quisque propior est extremitati aetatis utriusque, tanto largiori longiorique indiget somno!* Ulterius autem progredi, somnumque, in quaque vitae Periodo salutarem, certis circum scribere horis cupientibus, multae statim se, et vix ac ne vix quidem superandae objiciunt difficultates.

§. 41.

Incautius et tanquam re iam confecta, vulgatum istud:

D 3

Septem

*Septem horis dormisse,
sat est iuvenique senique!*

similesque alii versus plurimi, pro universali omnique exceptione majori quadam justaque somni mensura arripiantur a multis, dum rectius observant cautiore, eundem cothurnum non omnium pedibus esse adaptatum, dari potius casus, in quibus detrahendum, alios, in quibus adjiciendum, quamplurimos. Neque enim exactae somni mensurae determinandae sufficit semper et ubiuis solius aetatis consideratio, uti neque vitae generis solius, cuius intuitu, ut notavit ex JANO GRUTERO LANSIUS *de Academicis*, pag. 30. de FRANCKENAU, *Satyr. Med.* XVIII. pag. 388. circumferuntur apud Italos quaedam proverbia, sed et ipsa, quod notandum probe, uti ex levi petebit collatione, inter se iam satis diversa, nimirum:

*Cinque hore dorme il Viandante,
Sette il Studiante,
Otto il Mercatante,
Et vndeci ogni furgante,*

Quinque horis dormit Viator, septem studiosus, octo Mercator, at vndecim quicumque Nequam. Et:

*Cinque alla studiante,
Sei al Mercante,
Sette alla Plebe,
Otto al Poltrone,*

f. studio-

f. studiosus tribuit somno horas tantum Quinque, sex Mercator, septem Plebs, et octo ignavus.

§. 43.

Consideranda sed veniunt alia etiam quam plurima, vti *Temperamentum*, pro cuius varia differentia variat multum salutaris somni mensura. Sic Phlegmatici in somnum largiorem quemadmodum natura sua sunt propensiores ipsi, ita dandum etiam hic illis esse aliquid atque indulgendum prae aliis magis, medicorum statuunt sane quam plurimi: rationem reddentibus quibusdam, vt nimia qua scatent, humiditas, perspiratione sub somnum aucta magis dissipetur. Aliis, vt melius in illis perficiatur coctio, quam, vt reliquas actiones illorum, vitales sive animales, magis constat esse lentam. Ad octo itaque imo vel novem horas dormire illis a non nullis permiffum, imo vltorius adhuc progressus J. J. JOEPSERIUS in *Manuduct.* ad vit. long. P. I. C. X. p. 97. decimam, quod nimium tamen merito videtur plurimis, adiecit prorsus,

§. 44.

Ratio porro quaedam est habenda quoque *sexus* et *propriae* quorundam *conformationis constitutionisque*. Qua enim illum, liberaliores oportet esse Diaetologos erga sexum elegantiorum, et liberaliorem paulo illis indulgere somnum, coeteris quanquam tamen paribus. Qua vero hanc, singularis in quibusdam deprehenditur atque validior stomachi vis, sive a structura dependens succique gastrici energia speciali, sive aliunde, in
con-

concoquendo, in aliis e contra ob tenerem singulariter
ejusdem texturam aliisque de causis variis, tarditas ma-
xima longe. Longius itaque ab his, quam illis, erit
protrahendus somnus. Sic qui conditas habent venas,
et qui forma pumilionis, et caput gerunt prae grande, in
totum sunt somniculosi, ex ARISTOTELIS observa-
tione L. de Somno et Vigil. Cap. 3.

§. 45.

Rationem is phoenomeni hujus reddit hanc se-
quentem. „Nam ii, quorum conditae sunt venae, eas
„graciles et angustas habent, adeo vt humor aegre de-
„cidat et refluat. Pumiliones vero et quorum vasta
„sunt capita, multam evaporationem atque effluentiam
„habent, quae ad partes superas viam capeffit.,, Clari-
„us sed edisserit eam Jllustr. G. G. RICHTERUS, in de
salutaris somni mensura et tempore *Programmate* nupe-
rius evulgato p. 14. f. verbis „Ratio obscura non est,
„cum fluida ab angustioribus vasis, quae admittunt mi-
„nus, ad molliora et dilatabilia cerebri, quae omnium
„minime resistunt, eo promptius ruant, quo latius in
„magno capite campus ille patet. Verum eadem vasa
„ab admissa mole tumentia, dum coercente cranio ne-
„queunt cedere, premunt deorsum, quaevis ad minima
„cerebri vasa, seu nervorum orrignes redundans, adi-
„tumque pro secretionem occludens, necessario somnum
„parit.,, Haectenus Vir Celeberimus, addens ibidem
bene, *Pleborics*, plerumque, et inprimis sub majori
motu, accidere idem, nec Obesorum, aliam, ob vasa an-
gustiora, esse rationem, quos interim a nimio somno ar-
cendos monitum fuit iam supra §. 29.

§. 46.

§. 46.

Clima item diversum, et in climate eodem diversa *Tempora Anni*, diversum soepe sibi exposcunt somni terminum ac mensuram. Vnde sunt v. c. qui existiment, Hispanos, Italos, Gallos, aliosque calidiorum regionum incolas, breviori et quidem horarum saltem quinque vivere posse contentos, quibus tamen, vt fieri in hac causa multoties solet, contradicunt iterum alii. Frigidiores econtrario terras inhabitantibus longior concedi solet somnus, idemque vel ideo, vt parcior existens in his diurna perspiratio, noctu sub tegminibus dormiendo plurimum sic refarciatur. *Hyeme et vere* somnos esse longissimos, ipse refert Senex noster HIPPOCRATES, Aphorismor. II. 15. Dantur item per totum annum subinde quidam *dies*, in quibus aeris praegravis quaedam constitutio existens, pressis laxatisque artubus somnum imperat sveto longiorem, qua de conquerentes dicere audias, *es sey so schlâfrich Wetter, sie haben heute noch nicht außgeschlafen.*

§. 47.

Distinctionem quandam parit etiam *Diaeta*, qua *ingestorum* quantitatem qualitatemque considerata. Et JOEPSEUS quidem l. c. somnum statuit habere septem horarum, illos, qui cibos in quantitate et qualitate non gravantes sumunt, qui vero cibos per ingluviem capiant, opus habere somno longiori, ad Novem vel Decem plane horas. Qui bene bibunt, bene dormiunt,
E
vulga-

vulgare habet proverbium, crapulam den *Kausch* recht auszuschlaffen, additum postulat ut plurimum somni tempus, longius itaque dormiendum cuidam modo ebrio, quam fuisset eidem sobrio, Bacheloque haud ita repleto. *Consoetudinis* denique quanta sit vis, in confesso sane est, adeo ut et altera meruerit dici natura; id quod de somno itidem valere non est cur dubitemus, et comprobatur satis experientia quotidiana. Hanc vero mutare velle iterum, non semper erit naturae consultum aut amicum. *Si quis cito dietam permutet*, inquit divinus noster Senex (addunt alii *Crebro*) *dietam permutet, periculum etiam est, a permutatione aliquid novatum iri in Corpore!* Lib. de Nat. human. §. 19. text. 8.

§. 48.


Quae cum ita sint, cum inquam, a variabilibus tot circumstantiis, quarum major adhuc (respicendo v. g. ad plures diversi generis morbos, mixturam temperamentorum, aetatum subdistinctiones, affectus et sic porro) iniri poterit numerus, iisdemque plane accidentalibus partim nec facile praevidendis, personalibus partim et individualibus, dependeat iusta somni salutaris mensura, eam, certo quodam horarum spatio pro juvene quovis senesque, definiendi circumscribendique adparet sic maxima certe et fere insuperabilis quaedam difficultas, quam innuimus supra §. 40. et praemonuimus *Dissertat.* nostrae de *Dormientibus* prioris §. 10. sqq. Quinimo, ut dicamus quod res est, aequae impossibilis videtur,


tur, somni pro individuo quocunque, eodemque insuper mutationibus, momentaneis soepe atque repentinis, ab intra (vt loquuntur) obnoxiiis et extra, ad horarum filum mensuratio quaedam a priori, ac impossibilis est alimenterum adsumendorum sed lancem pro individuo vnoquoque ponderatio aestimatioque. De exacta id intellectum volumus somni mensura, circiter illam determinari posse haud inficiantes, magis tamen a posteriori.

§. 49.

Breviorem, tutiorem, iucundiorem, et vniuersalem tamen magis somnum mensurandi rationem, edocet fida illa Magistra, Natura quemvis, cuiuscunque sit aetatis, sub quocunque climate, cuiuscunque Temperamenti, et quae sunt reliqua, rite ad illam adtendentem, quando per somnum intento primario fine potita, iterum nos expergeficit ipsa. Expergeficti nimirum et persentientes iucunde reparatas corporis animique vires, ad impletam sic iustam salutaris pro tempore somni esse mensuram cogitemus. Huic naturae voci obtemperandum, hic Terminus temere non migrandus nobis! neque ad migrandum eum, Infantes, vt fieri pro amat nimis, cogendi. Infra hanc mensuram subsitens somnus, insufficiens est, excedens vero illam, nimius dicens, vterque, vt vidimus, malus. Et in eo Medicorum Doctissimos facile habemus consentientes, claudentes nunc verbis Clariss. J. C. G. Knollii (*Gedanken: über einige Materien aus der Arzney-Wissenschaft*, No. IV.

IV. Von denen Wirkungen des Schlafens und Wachens,
 pag. 78. l.) Bey allem dem werden wir keine gewisse
 Zeit fest setzen können, wie lange ein Erwachsener schlaf-
 fen soll. Bey einigen sind Sieben Stunden hinlänglich,
 bey einigen werden wohl Neun Stunden erfordert, und
 wieder bey andern sind wohl Vier bis Fünf Stunden zu-
 reichend, und man beobachtet, daß sie eben so munter
 und so erholet sich befinden als ein anderer, der neun
 Stunden geschlafen. Diejenige Zeit
 wird hinlänglich seyn, wenn wir vermercken, daß wir
 uns durch den Schlaf erholet, und die vöiligen Kräfte
 wieder erhalten haben.







✻ * ✻

Lib. I. Sect. XIII. Eo modo se res ha-
n magnetibus. Mihi quidam est, qui
massam in distantia crassitie chartæ
videtur, quæ illi tamen, dum se pro-
t magnes & ferrum, satis forte ad-

æ hucusque exposui, abunde elucescit,
solam illa haud actuare phænomena,
si cuidam Physici tribuunt. In hac igi-
nus, vana erit persuasio, si in internas
ires naturæ, opinamur. Interim ta-
dam ut adsit, necesse est. Qualis igi-
vis attrahens, agens in distans, cor-
is aut naturalis, ut quamlibet materiæ
netis instar concipere liceat? Si affir-
fecasse non solviffe, Philosophi dicent.
chanica suspicanda est ratio? Nondum
ndum est, excogitari posse motum ma-
t ostendi per impulsum ea fieri, quæ
tæ attrahenti tribuimus? Mechanis-
ditionis inter impossibilia esse referen-
us evictum est ac per attractionem
oni; licet per plurimi, e. g. *celeb. Krat-*
s, Hambergerus alique, demonstrare pri-
cicut nec vortices cœlestes ita destru-
Newtoni ratiociniis, licet d' *Alembertus*
mare & ab objectionibus *Joh. Bernoulli*
it, ut nulla restaret possibilitas a ma-
impulsu, motum derivandi corporum
cœle-

C 3

cœle-

